

Horizonte, id aspectus Christi fecit in animo Matthæi: Discussit tenebras noctis, qua periculum æterni interitus non agnoscebat: Calefecit frigidum cor, ut calefibus desideris ardere inciperet: Dissolvit nivem & glaciem, qua ille transitoris divitiis inhærebat: Verbo: tam salutare operationes in corde Matthæi reliquit, ut factus sit ex publicano Apostolus, ex peccatore penitentium exemplar. *Vidit illum Deus*, ait S. Chrysologus, *ut ille videret Deum! Vidit illum Christus, ut ille pecunia latebras non amplius videret.* En! Dilectissimi, anfa nobis offeratur, admirandi salutare effectus, & operationes gratiæ Divinæ! Ad rem! 1. Duplex est gratia Dei, *actualis & habitualis*: Actualis est quasi auxilium transiens, per illuminationem intellectus, & inflammationem voluntatis excitans peccatorem ad penitentiam, aut hominem iustum ad opus salutare: exemplum habemus in Matthæo, & etiam in Petro, quem ubi Dominus post trinum negationem respexit, ille penitens flevit amare. Habitualis, seu gratia sanctificans est donum supernaturaliter, quod ex se stabiliter inhæret animæ, peccatum remittit, hominem facit filium adoptivum Dei, etque una cum cælesti pulchritudine jus tribuit ad vitam æternam. 2. Utramque hanc gratiam asstimare debemus super omnia mundi bona, parati potius vitam perdere, quam Dei gratiam, iuxta illud: Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiaris? 3. Illud maxime curandum, ut neutri gratiæ obicem ponamus, sed fideliter cooperemur utrique: Abraham, cum tres Angelos hospitio recepit, ipsemet sedulo obitè ministeria domus, quia, ut ait S. Chrysolomus: Viscitationem Divinam debet suscipere noster labor! &c. Vide Mich. a Calvo com. 36. §. 2. n. 7. Et. Tit. Gratia Actualis, &c.

In Festo S. Archangeli Michaelis.

S. Michael pro vita & morte invocandus.

Loquens per Angelum suum Servo suo Joanni. Apocal. 1. Quemadmodum S. Michael Archangelus in veteri Lege fuit Custos Synagoga; ita in nova Lege Princeps & Protector est Ecclesiæ! Huic ex mandato Dei præest, curam illius gerit, in persecutione protegit, ad Dei gloriam promovendam excitat, peccata & scandala ab illa avertit, om-

neque impendit operam, ut omnes fideles in statu tam sacro quam profano ab Ecclesiâ militante ad triumphantem transferantur. Ante omnia igitur hodie Sandum Archangelum in genere rogemus, ut potenti suo brachio, periculosis his temporibus, Ecclesiam defendere, & ad caelestem gloriam promovere pergat. Quid autem in specie rogamus? Id desumendum ex officii, quæ gerit. Audite! 1. Tempore illo, quo superbus Lucifer seditionis caput contra Deum extulit, volens similis esse Altissimo, S. Michael rebellis sese opposuit, eumque cum sequacibus in abyssum inferni precipitavit. Rogandus igitur S. Archangelus, ut contra infernales potestates nobis succurrat, in tentationibus, præsertim in morte assistat, a peccatis præservet, & nullo modo permittat, ut contra nos prævalat inimicus. 2. S. Michael a Deo constitutus est ad suscipiendas animas: rogemus ergo, ut a Deo nobis interpretet gratiam vite tam sanctæ & innocenti, ut anima nostra in morte digna sit suscipi ejus manibus. Non deerit orationibus nostris, quia ad Dei gloriam & nostram salutem se libentissime impendit: Olim in monte Horeb Moysen intravit in suo officio: Sanctum Bonifacium Germaniæ nostræ Apostolum animavit ad prædicandum Verbum Dei: Sancto Cononi Instructor fuit devotionis erga SS. Eucharistiam: Belliduci Josue aditit, dum populum introduxit in terram promissam: igitur & nobis non deerit in morte, ut nos introducat ad patriam caelestem. 3. S. Michael in die iudicii præferet Crucem, in qua redempti sumus. Rogemus ergo per S. Archangelum Dei gratiam, & vitam agamus tam sanctam, & innocentem, ut illa die Crucem Redemptoris nostri, non cum luctu, sed cum læticia intueamur. Vide Barz. Ser. 31. num. 38. Item Corn. a Lap. Exod. c. 3. v. 2. &c.

Adversitates dulces sunt, non amaræ.

2. Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam, Matth. 18. Plurimum interest imaginatione, & bona voluntate! Homo subtristis, & tetrica indolis amarum potionem cum lactu & nausea sorbet, quam alius excitati genii cum risu & læticia ebibit. Par ratio se habet in adversitatibus hujus sæculi: unus tristatur, alter lætatur: cujus rei ipse Christus Dominus nobis exemplum.

plum dedit, dum Passionem suam, quam Propheta Mari comparant, in horto Oliveti Calicem vocavit. Imitare exemplum, mi Christiane, & adversitatem tuam, quam ut integrum mare exhorrescis, ut calicem tibi imaginare. Quomodo id facere possim? Edocebo modum, dabo rationes; quia revera, si vis, sub adversitatibus magna bona deliteant. Percipe! 1. Dulcis est, non amara tribulatio, si respicias culpam quæ remittitur! certum enim est, quod per adversitatem unius horæ, quam patienter, & fortiter pro Deo sustines, plus de reatu peccatorum extinguere possis, quam per preces, & pia opera nescio quæ & quanta. Modum sic alleviandi malum docuit iterum Christus dicens, Calicem, quem dedit mihi Pater, non Judas, non Scribæ, non Pharisei: ita & tu crede, hunc calicem tibi propriatum esse ab amantissimo Deo, non ab inimico persecutore. 2. Dulcis non amara est tribulatio, si respicias Gratiam quæ immittitur; certum enim est, quod per crucem amore Dei exantlatam, gratia tam actualis, quam sanctificans duplo, triplo in te augetur. Præterea hoc habet ista gratia, quod a peccato, malo maximo te præservet: Ille in Evangelio cæcus natus est, non quia peccavit, sed ne peccaret. Abimelech Rex per infirmitatem corporis præservatus est, ne violaret Saram. Balaam, quia ex lapsu alinæ pedem attrivit, reversus est a maledictione quam cogitabat. (Vide Speranz. punct. 42.) 3. Dulcis est, non amara tribulatio, si respicias Gloriam, quæ promittitur. Hæc gloria nunquam magis æstimatur, nunquam magis desideratur, quam in adversis! Sanctus Augustinus dicit, dum res omnes illi prospere fluebant, illam parum attendit, verum cum doloribus stomachi fuit cruciatus, ad Baptismum festinare cepit. Et Christus ipse in hodierno Evangelio monet, & hortatur: Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam igitur! &c. En rationum momenta, quæ mirum quantum dulcorant amaritudinem tribulationum! Vide Tit. Adversitas! Item P. Segneri Manna an. 22. Aprilis n. 2.

Peccatum terribilia damna causat peccatori.

3. *Ve mundo a scandalis!* Matth. 18. Imagines S. Michaelis Archangeli factis declarant, quam pugnam ille habuerit contra rebellium Angelorum antesigna-
D. Claus Spicili, univers. Para III,

num, quem ob peccatum ambitionis ex celo in infernum precipitavit. Infelix Lucifer, unde excidisti, quid perdidisti, quo pervenisti? consideremus Dilectissimi, quantis bonis peccatum mortale hominem privet, & quanta damna misero inferat. Audite, oblespescite! 1. Peccatum summum est, & infinitum malum, quia offendit summum, & infinitum Bonum; inprimis privat peccatorem gratiâ & amicitia Dei, quæ majus bonum in mundo non extat, si miserrimum, pauperissimum, assistitissimum, abjectissimum in toto mundo, felix sum pro regibus terræ si Dei gratiam habeam! pro hac gratia Sancti Martires vitam dederunt, & certe dedissent millenas! (Vide Tit. Gratia.) 2. Per peccatum perduntur omnia merita hæcenus collecta: ponamus hominem, qui merita omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum habere, & commotum, quo peccat, perdit omnia, & audite a Deo debet, velut fatuus Virgines: Nescio vos! (Vide Barz. Ser. 5. n. 24. & seq. Item P. Segneri Hom. Christ. Dific. 13. n. 5. & seq.) 3. Per peccatum amittit homo merita Christi Redemptoris, cum fere in modum, ac si Christus pro eo nunquam fuisset mortuus. (Vide Tit. Peccator.) 4. Per peccatum perdit homo jus ad hereditatem caelestem, expungitur nomen ejus & libro vite, inscribitur in catalogo damnatorum & in æternum (nisi Deo miserante respiciat) in inferno est inimicus Dei. Quis non exhorrescat? Vide Tit. Peccatum, Peccator, &c.

In Festo SS. Apostolorum Simonis & Judæ.

De qualitatibus & merito amoris proximi.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Joann. 15. Artificiosus fuit calamus, qui totam Homerii Iliadem in nuce scripsit: Artificiosum penicillum, quo tota Christi Passio picta fuit in quinque anguib; lævæ manus; Artificiosum scalpulum, quo sculpta fuit rheda cum quatuor equis, tam exigua, ut sub ala muscæ potuerit occultari. Sed artificiosior lingua, qua vetus, & novum testamentum unico verbo expressit: Dilige! Omnia, quæ præcipit Deus, ait S. Gregorius, fundantur in amore. Atque ut nemo sibi falso persuadeat, se amare proximum, sciat, quod amor hic triplex sit: *Naturalis*, qui oritur ex pro-

pensione naturali, aut similitudine morum. *Virtuosus*, & vitam laudabilem. Et denique *Supernaturalis*, qui unice amat propter Deum, hic est perfectus, & praeceptus amor, & iterum tres habet proprietates, videlicet, ut sit beneficus, universalis, & constans. Loquamur diffusius: 1. Amor proximi debet esse *Beneficus*, & quidem sine interesse proprio; nam bene facere remuneraturis, affectus avaritiae est: solum procedere debet hic amor propter Deum. Perse femel in anno extinguere solebant omnes ignes in toto regno, excepto igne in aula regis, a quo deinde omnes ignes iterum reaccendi debebant: Ita amor noster a nullo alio accendi debet, nisi ab igne amoris Divini: hic amor non habet illud meum, & tuum, sed amet pure sicut Christus dilexit nos, sine propria utilitate, &c. 2. Amor proximi debet esse *Universalis* sine exceptione: si unus excludatur, verus amor non est, quia amandi motiva sunt universalis. Si dicas, amo omnes praeter illum aut istum, quia est homo crudus & absurdus; ipse sibi imputet, quod amari non possit: cruda est haec & absurda exceptio, qua non tam proximi quam tuum vitium accusas: defectus est penes te; sicut aeger febricitans conqueritur, nimium calorem esse in lecto, cum tamen calor omnis sit in aegrotante: ita quaeris virtutem in alio, qui in te ipso deberes, &c. 3. Amor debet esse *Constans* tam in prosperis, quam in adversis. Si proximum solum amas dum felix est, e contra in infortunio, in paupertate, in persecutione deseris, amor tuus fucatus est, & mercurio metallorum infidelissimo similis: Mercurius amicissime adhæret auro, quamdiu aurum est, sed cum illud in fornacem projectum ignescit, fugit & violenter per caminum erumpit. Sic amor non est, qui tantum amat in prosperitate, & in adversitate fugit, &c.

Peccata Christianorum graviora quam infidelium.

2. *Si non venissem, & locutus fuisset ei, peccatum non haberent.* Joann. 15. Rusticus quidam inculta indolis homo in publica platea Virum e prima nobilitate aut Magistratu insignem, palmari injuria, luto, sputo, & verbis inhonorat. Obstupescit Vir gravis & innocens, in terrogatque injuriatorem, Nosti me? quis ego sim? Rusticus negat, inquitens,

Non novi; sicque ob ignorantiam, & stupiditatem impune dimittitur. Quodsi autem convincatur novisse offensum, injuria ferro, & igne vindicatur. En! ignorantia delictum minuit, noticia autem & agnitio aggravat. Et hoc est, quod Christus Dominus hodie exprime voluit, hoc effato: *Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent.* Et ego ex his verbis veritatem eruo proflus terribilem, nempe, peccata Christianorum, qui ex doctrina fidei alissimorum rerum caelestium cognitionem habent, longe esse graviora, quam infidelium, & haereticorum rudium & stupidorum. Vultis, ut hanc veritatem solidius probem? Probabo. 1. Peccatum Christianorum gravius est, quam infidelium propter gratiam & beneficium Vocationis ad fidem! Mi Christiane, Deus ex mera misericordia te praeter mille millibus praelegit, & in Sacramento Baptismi quasi his verbis inaudoravit: Ego constituto te, ut sancte mihi servias, & compenses injurias, quas ab infidelibus & a peccatoribus quotidie patior. Quodsi, mi Christiane, non minus impie vivas, quam infideles, certus esto, quod unicum peccatum tuum, magis affligat Deum, quam decem alia infidelium, sicque erumpat in illas querimonias: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, sed tu homo unanimes & notus meus! 2. Peccata Christianorum sunt graviora quam infidelium, propter millena beneficia a Deo accepta v.g. piam educationem, instructionem per verbum Dei, participationem sacramentorum, praesertim! SS. Eucharistiae, aliaque non tantum communia, sed etiam particularia &c. 3. Peccata Christianorum sunt graviora quam infidelium, propter scandalum, si Christiani viverent prout deberent, certe bono virtutis exemplo infideles, & haereticos ad sanctam salvificam fidem traherent: verum cum vitam non minus sceleratam agant, quam illi, contemunt legem Christi, putantque, quod Christiani nihil singularare habeant in doctrina, cum nihil singularare habeant in vita, &c. Vide Barz. ferm. 40. Item Tit. Peccatum, &c.

Excusationes peccati nihil valent.

3. *Excusationem non habent de peccato suo.* Nihil familiaris peccatori, quam excusare peccatum: *Ustiatum est generis humani vitium*, ait S. Gregorius, *peccatum latendo committere, commissum negant.*

ganda abscondere, consilium defendendo multiplicare. (Vide Speranzam puncti. 25.) Aliqui culpam rejiciunt in carnis imbecillitate, alii in tentationum gravitatem, alii in pravas inclinationes, alii in demonis infidias, alii demum in ipsam concupiscentiam. (Vide Barz. ferm. 20. n. 17. Et ferm. 24. n. 1. & seq.) Verum de his sciendum, 1. Excusationes omnes in genere nihil valere apud Deum: ille excusationes habet omnes ab aeterno praevitit, & tamen legem suam sancire non desistit. Primus peccator, nempe Adam in paradiso jam fuit huic infirmittari obnoxius: excusavit peccatum: Mulier quam dedisti mihi, me decipit: sed male ipsi cessit audacia, quia, ut ait S. Augustinus, culpando uxorem & culpam transferendo in auctorem, auxit potius crimen, quam minuit. Si ingenua humilitate crimen confessus fuisset, ait idem S. Augustinus, forsitan e paradiso non exulasset: Sic res fe habet de omnibus excusationibus in genere. (Vide Barz. ferm. 33. n. 2. & ferm. 38. n. 5.) 2. Et in specie eorum, qui peccatum excusare contendunt Concupiscentia: quia haec adeo non nocet, ut potius proficit ad spirituale certamen. (Vide Barz. ferm. 33. n. 11.) Dicis: Concupiscentia est radix, & fomes millenorum peccatorum! Respondeo, Est, sed non sua, sed conscientiae culpa: si equus petulans dejectat sefforem, culpa non est equi ratione carentis, sed imperici sefforis, &c. Vide Tit. Concupiscentia, &c.

In Festo Omnium Sanctorum.

Adversitates mundi leves sunt intuitu caelestis gloriae.

2. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Matth. 5. Mysteriosus plane, & profunda consideratione dignissimus est discursus, quem Christus Dominus, post gloriosam suam ascensionem, cum Discipulis cunctibus in Emmaus incognitus conversit. Loquebantur illi de passione & morte Divini sui Magistris, & hic, qui sub specie peregrini fe illis adjunxit, interrogabat eos: *Qui sunt hi sermones!* Admirabundi illi respondebant, tu solus peregrinus es, & ignoras cruentam tragediam, ac tormenta, quae elapsa septimana in Urbe Hierusalem Crucifixus ille sustinuit: Dissimulabat adhuc omnia Christus, & interrogando subinferebat.

*Qua? id est, quoniam ergo tormenta sustinuit? Mirabilis haec est, & imperceptibilis interrogatio, quia Christus indicare voluit, quod intuitu gloriae corporis, qua defacto frueretur, vel jam oblitus esset tormentorum, quae passus est, vel illa omnia pro modico, aut nihilo reputaret. En mi Christiane, fe gloriam illam suspicias, quae te exspectat in caelis, jam quidquid in hac vita agis aut patieris, parvi pendes. (Vide Barz. ferm. 30. n. 39.) Demonstrat, quod afo Patriarcha Moyses accurate describit aetate Prorege Egyptii Joseph, dicens, quod vixerit centum, & decem annis. Quare hoc? Notate, Josephus in carcere detentus fuit, quando erat septendecim annorum, & Prorex Egyptii factus est, dum erat annorum triginta, ut ergo indicaret Moyses, quod tantum tredecim annis fuerit in arumis, & octoginta annis in summa felicitate, accurate calculavit ipsius aetatem, nimirum, ut subjungit Chrysofostomus, majora sunt praemia, quam labores. (Vide Barz. ferm. 30. n. 32.) Quot annos numerat mi Christiane? triginta, quadraginta, quinquaginta? an haecenas Deo servisti, peccata fugisti, gratiam Domini potui! adeoque calum speras? Spero omnino! O quam exigua sunt tua merita ad calix praemium, quod est aeternum! Sed inquis, arduum est in angusta mandatorum semita sine offensa progredi! Audi Davidem! Ille mortalitas hujus vitae cursum, brevi tempore praetererunt, considerans, exclamat: *Latam mandatum tuum nimis!* quid est, quod viam mandatorum latam dicat, quam tu arctam aut mentionem fecit, *Omnis consummationis videri sanis!* qui finem vitae, sive beatum, sive infelicem considerat, viam mandatorum observatu facilem, & amaran sibi proponit, & omnes difficultates laetus superat. (Vide Barz. ferm. 30. n. 34.) Age ergo suplice calum, & hujus intuitu in omnibus vince te ipsum. Dic tibi ipsi ad exemplum S. Job: *Pepigi factus cum oculis meis e foedus cum auribus meis, foedus cum corde meo, quod nihil sensuere aut delectabile velim illis admittere; quia haec omnia eminent inveniam, cum Deum memia videro.* Vide Barz. ferm. 30. n. 28. &c.*

A via. cali. aberrant peccatores.

2. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius.* Pl. 23. Dicite Dilectissimi, ubi via recta & se-

cura in cælum? Mirabilis interrogatio! Via recta, ac securissima in cælum puto illa est, quam Christus Dominus, & Sancti ejus nobis præverunt; ideo habemus libros, quibus eorum vita describitur, habemus imagines, quibus eorum facta nobis ante oculos ponuntur. Scipio generosissimus Belli dux fateretur, quod stimulum bellicæ suæ fortitudinis fuisse, ex intuitu statuarum, quas antiquis Herolibus Roma in laudis memoriam posuit. Ita & nos, ait S. Gregorius, qui fonte Baptismatis imbuti sumus, utriusque testamenti auscultare debemus historias, ut Sanctorum vitam, & facta imitemur. (Vide Barz. ferm. 45. n. 3. & seq.) Hæc est via recta, & secunda in cælum! An vos, dilectissimi, aliam scitis? Videamus Viatores per hunc mundum itinerantes? 1. En! ibi turba eorum, qui eræta cervicæ, & superciliosa facie magnis gressibus inambulantes, ad honorum fastigia eluctari anhelant, sua dicta pro oraculis haberi, sua facta laudibus super sydera extolli cupiunt; an hi viam cæli tenent? Non puto! Sancti contrariam viam humilitatis tenuerunt! S. Gregorius, Petrus Cælestinus, Ambrosius, Thomas Aquinas, Philippus Neri tam pertinaciter dignitates recularunt, quam mundani illas affectarunt, obierunt munia abjectissima & cupierunt a mundo contemni, ac pro stultis haberi. Cur autem ista? Ad exemplum Christi, qui licet fuerit Rex Regum, usque ad consortium jumentorum in stabulo, usque ad pedes Apostolorum, usque ad infamiam crucis se abiecit. (Vide Tit. Humilitas Sanctorum.) 2. Video aliam turmam eorum, qui divitiis per fas & nefas inhiantes, bona terrena corradunt, & tum fe demum felices reputant, cum marfupia & citæ eorum auro, argentoque turgent. An hi viam cæli gradiuntur? Multo minus! Sancti contrariam viam tenuerunt, in paupertate, in fame & siti vitam miseram duxerunt, ad imitationem Christi, qui a natiuitate usque ad mortem fuit pauperissimus, a paupere Virgine, & paupere fabro nutritus, denique in cruce mortuus, ubi non habebat, ubi caput reclinaret. 3. Video tertiam turmam eorum, qui edunt, bibunt, ludunt, & cantantes ac tripudiantes petulant, & procurant. An hi viam cæli invenerunt? Omnium minime! Sancti contrariam viam elegerunt, mori potius parati, quam vel minimum hujus peccati maculam admittere, scientes, quod Christus Dominus

in passione sua per totam noctem acerbissima tormenta passus sit, ut luet peccata hominum, que nocte fiunt, &c. Vide Tit. Castitas. Item Speranz. punct. 14. Item Barz. ferm. 45. &c.

Christianus qualiter vivere debeat, ut saluus fiat.

3. Siquis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me. Mirari nunquam satis potui illud Christianorum genus, qui nec frigidum, nec calidam vitam ad mundi genium vivunt, suæ voluntati nihil denegant, dies iociales sibi procurant, inter commoditates corporis, inter risus, convivia, tripudia continuo versantur, pericula peccati parum curant, & si prolapsi sunt, per unam contritiunculam rem omnem compositam esse arbitrantur, de cetero cruce, adversitates, injurias damnant, & execrantur: Verbo, laxissimum vivunt, & tamen cælum sibi imaginantur ut certum, hos, inquam, semi-Christianos non possum facis admirari, vel enim Christus & Sancti omnes errarunt, vel isti errant. Quomodo ergo Christianus constitutus esse debet, ut cælum sperare possit? 1. Sepsim debet immunes servare ab omni peccato, mandatis obedire, passiones subjugare, corpus mortificare, voluntati suæ resistere &c. 1. Proximus debet diligere sicut seipsum, illi in necessitate succurrere, a peccatis cohibere, errantem corrigere. 3. Deum debet amare super omnia, illius amore ad verba pacienter sustinere, Christum & Sanctos imitari! Sed in quo consistit hæc imitatio? Audi verba Redemptoris: quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me! Hoc omnes Sancti fecerunt, præter hanc viam non datur alia in cælum! &c. Vide Tit. Sancti: Beatitudo: Adversitates &c.

In Festo S. Martini Episcopi.

Quomodo opera bona per sanctam intentionem dignificanda.

1. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Luc. 11. Commune adagium dicit: Intentio indicat omnes. Id, si in ulla alia re, certe in vita Christiana, & spirituali maxime valet: ut opus aliquod cæli corona dignum sit, non sufficit, ut secundum se sit bonum, nec ut operans sit in gratia Dei.

sed ut ad Dei honorem, & beneplacitum eleveatur. Sicut frustum argenti, cæli in se æstimabile, si est in Principis signatum non fit, ad mercandum non valet; ita opus tuum de se bonum, si sancta intentione careat, ad cælum inutile est, id quod intelligi quodammodo potest per textum allatum: Si oculus tuus simplex fuerit &c. Loquamur de doctrina bonæ intentionis, que Christiano in paucis est utilis, & necessaria. Nota igitur 1. opera, quantumvis magna, ex te coram Deo æstimabilia non sunt, sed solum talia fiunt ex intentione; Deus enim non opus sed voluntatem, non manum, sed animum aspicit: Et hæc fuit ars omnium Sanctorum discedendi in meritum, quibus nonnunquam etiam Martyres præferunt; semper enim versantes in præsentia Dei, omnes habitus, omnes arteriarum pulsus ad Deum elevarunt. Nam Nota 2. Opera cuiusvis status, officio aut conditioni propria, imò etiam opera naturæ necessaria, ut comedere, bibere, dormire possunt per intentionem ad insignem meritum elevari; atque in hoc fenestru dicit S. Hieronymus: Sanctis ipse etiam somnus est oratio. Hinc Nota 3. Inaniter conquirit multos, qui dicunt, sum vilis opifex, non possum, sicut Monachi prolixè orare, elemosinas facere, consequenter nec grandia merita colligere! Erras, quisquis ita sentis; ipsa quotidiana artificis opera, alendæ familiæ necessaria, quamvis vilia sint, per sacras intentiones ad tantum meritum elevari possunt, quantum est integerrima Oratio, aut profusissima erga pauperes misericordia. Dic, quis major coram Deo fuit Moyses aut Elias? sine dubio ais, Moyses, qui Pharaonem miraculis terruit, dum econtra Elias ignotus, & ignobilis latuit! Et tamen in monte Thabor non minus Elias, quam Moyses gloriosus apparuit. En opera in oculis hominum vilia adeo possunt dignificari, ut Deo non minus placeant, quam opera excellentissima in æstimatione hominum. Nota tamen 4. Sic opera quantumvis dignificata offerenda esse Deo in unione meritorum Christi & Sanctorum; Hæc est vera chrysopeja seu ars conscribendi aurum, quo cælum emittitur. Vide Tit. Intentio bona &c. Et tale opus meritorium fuit elemosina dimidii pallii, quod S. Martinus pauperi porrexit, id quod sanctum hunc magnum fecit coram Deo, & hominibus, &c.

Superiores velut oculi invigilant bono subditorum.

2. Lucerna corporis tui est oculus tuus: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus

lucidum erit. Luc. 11. Quod oculi sunt in corpore, hoc Superiores sunt in tota communitate; & Patres-familias in domibus privatis: Sicut oculi totum corpus regere, manus dirigere, pedibus præire, viam monstrare, & pro toto corpore vigilare, mala illius avertere, & bona promovere debent: ita id ipsum Superiorem & Patrum-familias officium est, de quo fvo tempore Divino Judici gravem rationem reddere, & vel præmium, vel supplicium æternum expectare debent. Proficuum hanc comparationem, & videamus, quousque hoc officium sese extendat. 1. Oculi non sibi solis, sed toti corpori vigilant, & dormiunt: Ita Superior aut Paterfamilias non sibi soli vivit, sed patris, amicis, filiis, & subditis: horum commune emolumentum præbere debet privato, suæque cura ac labore utilitatem horum omnium promovere: sicut Jacob in servitio Labani tam sedulam habuit curam gregis, ut diceret de seipso: *Eugebat somnus ab oculis meis*; ita Superior pro communitate, Paterfamilias pro familia vigilare, primus furgere, ultimus cubitum concedere debet. 2. Oculi non seipsum, sed alios intuentur: Ita Superior, & Paterfamilias non suum bonum, sed subditorum querere debet: si avarus sit, & detestere cupiat, & ipse & subditi fient virtute pauperes. Jethro inter alia fuisse Moysi, ut in capita aliorum constitueret Viros ab omni avaritia alienos; hinc Alcamenes Spartanus rogatus, cur munera oblata non accepisset; respondit, si accepissem, cum Lege Dei pacem habere non potuissem. &c. 3. Oculi tam sunt delicati, ut quævis parva macula in illis pro magna reputetur: Ita superiores & Patresfamilias ab omni neceo caveant; quia, ut ait Tridencium, *Integritas præcedendum, est salus subditorum*: Moyses, ubi a Deo constitutus est Superior populi, fulgore coruscavit: ita quilibet, qui præest, subditis, abique ulla macula, virtute præluere debet. (Vide Tit. Judices, Prætores, Patresfamilias.) Has omnes regulas accurate observavit S. Martinus; hinc a S. Damiano dicitur fuisse Bonus Miles, Mellior Monachus, & Optimus Episcopus: *Laudis ejus plena est terra, &c.*

Ex uno opere bono, aut malo potest dependere æternitas.

3. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit, si autem nequam

quam fuerit, etiam corpus tuum tenebratum erit. Luc. 11. Heroica liberalitas, qua S. Martinus pauperi dimidium pallii cessit, adeo placuit Christo Domino, ut dimidiato illo vestitu indutus appareret, cum laude, & gratitudine inquis: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. Ex hac laude, & gratitudine duplicem eruo veritatem ad solatium, & terrorem omnium nostrum. Attendite! Prima Veritas est solatium illa est, quod ex uno generoso virtutis actu, aeterna fides salus dependeat: Deus probat suos famulos v. g. in ardua sui victoria, & si fideles inveniat, illos magis, magisque perfectos & tandem sanctos facit. Sic probavit Abraham, dum petit ab eo, ut sibi filium immolaret, dumque paratum promptumque invenit illum non solum Patrem credentium, sed progenitores constituit, ex cuius progenie Christus Mundi Redemptor est nasciturus. Sic de Jacobo, Tobia, aliisque possit exemplum adduci, &c. Altera veritas ad terrorem ista est, quod ex malitioso peccato plerumque sequatur aeterna damnatio; post talem enim malitiam Deus cum donis & gratis suis sit parcior; tentationes sunt graviore, resistuntia fit difficilior, peccator fit infirmior. Et quid tandem? labitur in alteram, & plura peccata, venit ad consuetudinem, a consuetudine ad desperationem, a desperatione ad infernum! huc est illa catena, quae trahit ad interitum. Tu, mi Christiane, attende ad speciales insidias, & quando animum vel ad opus bonum commoveri, vel ab opere malo retrahi sentis, noli esse inobediens fidei fidelis; quia ex hoc forsitan tua salus, aut aeterna pernicies dependet. Vide Tit. Bona opera, Peccatum, &c.

In Festo S. Catharinae Virg. & Martyris.

Exemplum imitandum in tuenda castitate.

1. **H**AEC est Virgo Sapiens, & una de numero prudentum. Virginalis Castitas, nomen est Mundo exosum, & caelo estimabile! estimatur a Christo Domino, qui voluit esse Filius illibatae Virginis! estimatur ab Angelis tanquam sibi similis, iuxta illud: qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei! estimatur a Sanctis, qui pro illa usque ad mortem pugnarunt! Virgineae animae! ut illum impundo mundo, inter impudentes insidias virtutis hujus thesaurum inteme-

rum conservetis, discite pro illo pug-nare cum S. Catharina, & ipsius exem-plum imitari! Quomodo? Audite. 1. S. Catharina fuit Virgo Parisiensis, illius vir-gineus candor a Maximo Imperatore blandiente, & regium thalamum, una cum auri argenteisque talentis promittente, non potuit corrumpi, quin imo illa sola ausa est, Maximo Diis sacrificium suum exprobrare sultitiam. Hodie pro dolor! longe alia est rerum facies! Virgines quae cederet esse deberent, arundines sunt ad omnem ventum mobiles! fordes puri-tati contrarias adeo non exhorrescunt, ut auri fulgore, blanditiis, & promissioni-bus proci facile expugnari se sinant, &c.

2. S. Catharina fuit Virgo sapientissima! contra quinquaginta Philoosophos pro ve-ritate fidei tam prudenter disputavit, ut illos ad Christum conversos decem Martyres fecerit. Hodie non ita folidae sapient Virgines, in ipsis fidelis principis ad alloquium lenonis titubare incipiunt, creduntque, virtutem calliditatis non esse thesaurum adeo estimabilem Christo & Angelis, ut illi affectus saeculi, & spes nuptiarum praeferrere non possit, &c. 3. S. Catharina fuit Virgo fortissima: ad enses, gladios & rotas, quae contra ip-sam una cum minis acerbissimis stringe-bantur, adeo non exhorruit, ut lubens, ac hilaris caput pro Christo amputan-dum dederit. Quid hodie nostrae Vir-gines? ad unicum verbum asperum, ad vultum corrugatum lenonis impuri ex-pallescunt! lugent Angeli, rident dae-mones, quod ignes inferni minus timeant, quam ignes fatuos lascivi amo-ris, &c. Infelices animae, quae mundum caelo praefertis! S. Catharina a Sanctis Virginibus in monte Sinai sepulta est, vos impare Venes non in monte, sed in valle tumulum invenietis! dicite, quos vespillones habebitis? Eheu! Vide Tit. Castitas, Virginitas &c.

Vitium contrarium castitati superandum est fuga.

2. Simile est regnum colorum decem Virginibus. Tempore illo, quo corporis robore, & proceritate terribilis Goliath, quotidie e castris Philistiorum prodibat, & exercitui Israelitarum insultabat, magnanimus David funda, & quinque la-pidibus armatus in arena comparuit, & contra giganteum tam feliciter pugnavit, ut illum lapidis jactu prostratum, proprio ense decapitavit. Aliter se res ha-buit.

buit in domo Putipharis! ibi impudens Domina domus Innocentem Josephum ad nefas propudiosissime sollicitavit. Quid ille? sine mora auliciens fugit, ita, ut etiam pallium, quo tenebatur, in manu lena reliquerit, contagium metuens, si illud a manu feminae contactum porro usui suo adhiberet. En! Christianae an-tur-mae! ex hac certaminis differentia discite, contra alia quavis vitia standum, pugnantium: contra vitium autem lasciviae fugiendum esse. Audite plura, & ma-jora! 1. Fugendi sunt aspectus; oculi enim sunt prima amoris via, & impu-dentiae duces! Eam in paradiso, dum oculos in pomum vitium coniecit, co-arguens Bernardus interrogat: cur mor-tem tuam tam intente intueris? quid pe-dare libet, quod manducare non licet? responderet quidem mulier de pomo, quod esset bonum! sed unde noveras esse bonum, nisi quod oculus hanc tibi suggererit ima-ginationem; nam visum sequitur cogita-tio, cogitationem delectatio, delectatio-nem consensus, qui jam ipse peccatum est, & mors animae; hinc cordate enun-tiat Augustinus: Ne dicatis mihi, quod animum habeatis pudicum, si oculos ha-beatis impudicos. (Vide Tit. Oculi! Item Speranz. punct. 32. & punct. 116.) 2. Fugienda est Familiaritas cum altero sexu, quia vel unicus manuum tactus aut compressio jam non minus veneni relin-quit, quam rabidi canis morsus. Bone Deus! exclamat S. Franciscus Salesius, Purissima Virgo Maria ad Angeli Ga-brieli ingressum, vocemque trepidat, & turbatur, Et non horrebit imbecilliss, & imunda femina Viri conversationem, quamvis ille vel Angeli speciem indutus videatur. (Vide S. Franc. sales. Direc. p. 3, c. 9. n. 9. Item Familiaritas utriusque sexus.) 3. Fugienda consortia honesti & pudori magis inimica, uti sunt convivia, popinae, choreae, ubi inter juvenes, compe ornatos pauci intrant, qui non impudentiores egrediuntur. Gra-tes referamus S. Catharinae, cujus festum choreis hodie finem imponit. Vide Tit. Choreae, &c.

S. Catharina triplici corona gloria coronata.

3. Haec est Virgo Sapiens & una de nu-mero prudentum. Tres sunt coronae in caelo, quibus merita Sanctorum coronantur: Aureola, corona sapientiae, & Laureola: qui primam gerunt ad Virgines, qui se-

cundam ad Doctores, qui tertiam ad Mar-tyres pertinent. Queritur, quanam ex his conveniat S. Catharina? Hoc in praesentium discutendum, ac decernendum erit, quod omnibus tribus in caelis insi-gnita effulgeat. 1. Virginitas virtus est feminae castissima; quia homines Angelis deo acceptissima; quia Nazianzeno voceretur Angelicae gloriae amula: imo Vir-gines praestare videntur Angeli; hinc An-gelus a S. Joanne fere adorari non permittit. (Vide Corn. a Lap. lfa. 56. v. 3.) Hae corona Virginitatis sine dubio com-petit S. Catharinae, quia ab Imperatore ad concubinum invitata, maluit non esse imperatrix, quam non esse Virgo. &c. 2. Haec castitatem Angelicam Deus cor-onat: hanc castitatem Angeli ambae virtutes pariterurunt S. Gregorio Nazianzeno, eum-que complectentes dixerunt: Missi sumus a Domino tibi cohabitare, quia jucun-dum nobis in corde tuo habitaculum praeparasti. S. Joannes Apostolus, quia Virgo fuit, meruit ex peccatore Christi haurire arcana caelestia. Idem fere con-tigit S. Thomae Doctori Angelico, S. Laurentio Justiniano, & aliis! praecipue vero S. Catharinae, quae quinquaginta Phi-losophos devicit, & Imperatricem, una cum Porphyrio tribuno ad fidem conver-tit, consequenter debetur illi corona Sapientiae, &c. 3. Quibus laudibus vos efferam fortissimi Martyres, exclamat S. Cyprianus! hi proprie vestigiis Christi inhaerent, dum fidem erga Christum san-guine defendunt. Id impetere fecit S. Catharina, cervicem praebuit Carnifi-ci, adeoque tertiam etiam, coronam Mar-tyrii meruit. &c. Mi Christiane! amu-lare virtutes gloriae Virginis, & sal-tem unam ex his tribus coronis assequi conare! Virginalis coronam mereri po-teris, si animi puritatem conserves ab omni navo illibitum; coronam sapientiae assequeris, si mandata Dei, & fidei principia praeseras mundi deceptionibus! coronam Martyrii impetrabis, si rebelles animi passiones mortificare, & subjuga-re serio studeas, &c.

In Festo Dedicacionis Ecclesiae.

Festa Dedicacionis in honorem variis levitibus.

1. Venit Filius hominis quare, & sal-tem facere, quod perierat. Luc. 19. Infernalis inimicus, qui jam a prima gen-eti voluit similis esse Altissimo, a Tetra-lyano

iano vocatur *Simia operum Dei*; quid quid enim honoris & amoris sibi vindicet Deus, id ipsum sibi arrogare videtur invidiosus zelum, hinc ortum est adagium: Raro invenitur Ecclesia, ubi diabolus non habet facellum. Vult sibi non minus serviri quam Deo! nihil est tam sanctum, quod non ex parte corrumpit: in ultima cœna habuit Judam, in morte Christi latronem. Quid sanctius, quid laudabilis, quam annua solemnitas Dedicacionis Ecclesie, & cheu! quam impudenter irrepit malus spiritus, & hac die pravorum operum messem tam intra, quam extra Ecclesiam, revera uberrimam colligit. Audiamus, an non verissima loquar. 1. Dominus Deus præcepit Gedeoni, ut non tantum aram idoli Baal, sed etiam lucum circumpositum everteret, & destrueret, quia umbrosa sua amenitate posset novam præbere occasionem idololatricæ. Quid sunt in ejusmodi festis joci, risus, verborum hilaritas, aspectus, & vestium ornatus, quo oculi attrahuntur, quid sunt, nisi occasio ad idololatricam, id est ad impudentiam. Eliminanda essent ista ex Ecclesiis; quia, ut ait Abulenſis, *Templum Dei non amantates postulat, sed severam castimoniam.* (Vide Barz. serm. 41. n. 11.) 2. Sed dices: Mane in Ecclesia multa sunt preces, & bona opera! & ego respondeo, hæc bona opera magna ex parte fiunt in honorem diaboli; quia prava intentione corrumpuntur. (Vide Barz. serm. 70. n. 17.) Impius Absalon, qui Patrem suum David e regio throno expulſurus vitæ illius insidias struebat, piam peregrinationem in Hebron simulabat, non ut oraret, sed ut occasionem inveniret, populum excitandi ad rebellionem. *Statim ut audieris clamorem buccine, dicitur: Regnabit Absalon in Hebron!* Examinet ille vel illa suam conscientiam, qua intentione venerit ad hanc Dedicacionis festivitatem? &c. (Vide Speranz. punct. 20.) 3. Sed quid expecto responſum? quæ intentiones in animo resident, satis prodit altera, seu vespertina pars diei! olim tempore S. Gregorii Magni præceptum erat, ut in die Dedicacionis pro pauperibus convivium haberetur, quod *Agape* vocabatur. (Vide Menoch. cent. 1. cap. 60.) nunc in seram vesperam editur, bibitur, luditur, saltatur! nunquam magis audientur inconditi clamores, nunquam videntur crassiores crapule, quam in hujusmodi festis, demum sera nocte inter

tenebras redit domum, quid in tenebris, quid in reditu fiat, apparebit aliquando in ultima die, &c. Ecce! quod initio dixi! Venit Filius hominis saluum facere, Venit diabolus sceleratum facere, plus sceleris reportat diabolus, quam Deus in his festis, &c.

Hilaris indoles aptior ad virtutem, quam morosa.

2. *Suscipit illum gaudens.* Hodie vocamur in arcem virtutis, disceptationem audituri inter duas feminas: prima est *Hilaritas*, altera *Morositas*, illa excitata, ista melancholicæ indolis: utraque disceptat, quænam convenientior sit ad virtutem. Propositis utrinque rationibus virtus hanc mihi spartam detulit, ut sententiam ferrem! Et ecce, respiciens ad exemplum Zachæi, qui *suscipit illum gaudens*, pro Hilaritate stabo, dicamque, quod homo Justus ac virtuosus potius gaudere, quam tristiari debeat. Audite rationes. 1. Quia Homo Justus jam nunc discrimen experitur inter Jurgum Dei & diaboli, illud leve & suave, istud tyrannicum est! sicut ergo lætatur & exultat, qui e captivitate Turcica redemptus, jam libertate gaudet; ita lætari debet Christianus, qui excusis peccati catenis, e servitute inferni transit in libertatem filiorum Dei. 2. Quia jam fruitor tranquillitate conscientie, quæ antea in peccato tristis, tetrica, & afflicta, esum, & potum, & omnes recreationes, etiam honestas, fecit amarulentas; & ideo nunc per unicuique opus bonum v. g. stipem pauperi datam, aut victoriam sui ipsius majus capit solatium, quam omnes mundani in suis deliciis, & voluptatibus. 3. Quia confidit, quod in corde gerat pignus æternæ salutis id est, gratiam Dei, & ideo in adversis unicus aspectus cal non minus illum exhilarat, quam Martyres inter tormenta. Dicam olim Deo Judici meo (sic secum cogitat) ecce; Domine, hanc crucem, hanc injuriam, hanc afflictionem tuli pro te, feci, quod iussisti, tu redde, quod promissisti, &c. O felices, lætamini in Domino, & exultate Justi, verum notate bene: *In Domino*; non in clamoribus, non in ebrietate, non in incondito risu, sed in Christiana modestia, &c.

Eccle.

Ecclesia Parochialis cuique instar Matris est.

3. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.* Ita Tobias monuit filium: Pater honorandus est; quia est principium vitæ & generationis! Mater honoranda est, quia ab ea recepimus vitam, educationem, sustentationem, & habitationem. Verum aliud ego cogito! Per Patrem volo hodie intelligere Deum, a quo tantquam Creatore & Servatore nostro tot beneficia accepimus, quot vitæ momenta! Per Matrem volo intelligere hanc Ecclesiam vestram Parochialem, cujus Dedicacionis festum hodie celebramus! Percipite, quid ajam! 1. Hæc Ecclesia Mater vestra est, quia ab ea recepistis vitam in Sacramento Baptismi, imo post relapsum etiam resuscitationem ad vitam! Dicitis, an fideliter servastis, quod ibi promissistis? 2. Hæc Ecclesia Mater vestra est quia ab ea recepistis optimam educatio-

nem per sanctas doctrinas & monita in concionibus, & Catechesi! Dicitis an in praxin, id est, in emendationem morum deduxistis, quod audistis? 3. Hæc Ecclesia Mater vestra est, quia ab ea recepistis nutrimentum in Sanctissimo Pane Eucharistico. Dicitis, cum unica Communio sanctificare communicantem possit, cur post centenas non estis facti meliores? cur inopes estis bonorum operum? cur hæretis, ut antea, in peccatis? 4. Hæc Ecclesia Mater vestra est, quia ab ea recipietis habitationem, id est sepulcrum usque ad extremum diem, &c. Cogitate jam, cum hanc Ecclesiam vestram Parochialem, quæ Deo in Baptismo & Pœnitentia promissistis! cogitate quid in sacris concionibus audieritis! cogitate, quæ beneficia in sacra communione acceperitis! & præcure cogitate, quid ultima illa die in resurrectione vestra factum fuisse optabitis! quod ibi erit operandum, id nunc est operi, seu executioni dandum, &c.



INDEX